DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE MORBI VENEREI NATURA, ATQUE DE FACULTATE PROPRIA, QUA IN HUNC MORBUM POLLEAT ARGENTUM VIVUM, QUAEDAM PROPONENS.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE DIGNISSIMI VICE-CANCELLARII,

ARCHIBALDI DAVIDSON, S. S. T. P. P.

ET COLLEGII GLASC. *Praefecti*;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu*,

Et Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE *Decreto*;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS,

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS;

IN COMITIIS

UNIVERSITATIS GLASCUENSIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

RICARDUS MILLAR,

EX VALLE GLOTTIANA

SCOTUS.

SOC. REG. MED. EDIN. SOC. EXTRAORD.

NEC NON

SOC. NAT. STUD. SOD.

Ad iv Id. Mart. hora locoque solitis.

Argento melius persolvunt omnia vivo
Pars major; miranda etenim vis insita in illo est. FRACAST.

GLASCUAE:

IN AEDIBUS ACADEMICIS

EXCUDEBAT ANDREAS FOULIS,

ACADEMIAE TYPOGRAPHUS.

M. DCC. LXXXIX.

Dr Lubbock

with

best wishes

of

his friend

the

Author

AMICO SUO,

JOANNI MILLAR ARMIGERO,

JURISCONSULTO,

RICARDUS MILLAR,

S. P. D.

SI quid habuiſſem, Amice, quod ad te mitterem, poſteritatis laudes ſpectaturum opus, quam tibi nemo eſt, id cui magis lubenter facerem: quem enim, in omni fere litterarum genere, cum verſatum plurimum, tum ita fautorem mei cognovi, ut nullus pene ſit, quicquid ego ſi meruiſſem, id adeo benevolenti qui reſpiceret animo. A me tale autem quoniam nil expectaturus es, hoc qualecunque ſit, tibi dicatum volui; quod quo ſoles mea favore, ut accipias, quaeſo. Neque in opuſculo enim tam caduco, (quid autem, niſi ut pereant, hujuſmodi naſcantur exercitationes) id fore mihi injucundum ſenſi, ſi mea pagina edidiſſem, quod tu, omnibus tuis cariſſimus, mihi quoque ſemper amiciſſimus fueris. Quanto verum cum amore me coluiſti, non ſine oblectatione quadam reminiſcor; cujus quidem eo magis delectat memoria, iſtam tuam, nulla temporum et locorum intervalla, nullae conſuetudines novae, nulla negotiorum implicatio, vitae denique nec diverſum prorſus genus, quod erga me aligidiorem reddere, nedum interpellare, valuerunt nunquam benevolentiam. Quos olim elegeris enim, ita tibi in amicos perſtitit, intemerata tua fideli, tas. Quam rem itaque dum recordar, quos a familiaritate iſta ſuſcepi fructus, nec mente praetereo. Tempore

enim beatiſſimo iſto, Academiarum otiis quo ſimul uſi ſumus, te clare differentem in concionibus noſtris Academicis, et audivi ſaepe, et admiratus ſum: multum et in Philoſophia et Litteris in Elegantioribus a te hauſi; multum de Republica; in flagrantiorem Scientiae dilectum, a tuo nunquam non accendebar exemplo. Neque dies ullus mihi notus eſt, dummodo tecum fuerim, qui non aut utiliter, aut jucundè, exactus. Magis autem commoveor, et magis amoris exardeſcit vis, illud quandocunque in mentem revocem, omne amicitiae munus, in me diu et graviter aegrotantem, quam ſancte praeſtitiſſes. Ad leniendos enim corporis dolores, quantum dilectorum valeat, et caritas, et conſuetudo, tum equidem expertus ſum; a te in primis autem, qui praecipuo mihi nunquam defuiſti lenimini. Neque illud ſane de memoria mea maturè exceſſurum puto, longiſſima jam fatigatum valetudine, quoties tu me, lepore tuo oblectaſti, conſolatione ſublevaſti, denuo hortatione tua, demiſſum magnopere animum, in meliorem ſpem erexiſti. ——Sed quid haec, (at ejuſmodi multa poſſem) quaeres? Vix certe dicere queam, niſi accepiſſe quae gaudemus beneficia, ea forſan commemoraſſe delectet. Quicquid Amicitia Amico perfuderit, quarè tu igitur ignoſcas, a ſervili, ut bene ſcis, abhorrens ſatis animo. Quapropter autem, (ut omni procul adulatione) libenter magis, pro iſto tuo libro, lectoris haud incurioſi grates exolverem, quem nuper publici juris feceris. Tibi enim gratulor, quod in re tanta, qualis ſit tuo libro argumento, (quae ſcilicet homines, ab ignis vaſtatione, a periculo maris, atque a ſubitae mortis caſu, quodammodo tueatur,) te tanti prae-

ſtiteris. Gratulor quoque, Juris Civilis ita gravem, diu autem neglectam, intactam penè, quod adeo excoluiſti partem. Ex hoc tamen, tibi tanto affuturum eſſe honori, gaudeo maximè, quod redundantia excidendo, ſparſa colligendo, obſcura illuſtrando, omnia ornando, illam tandem, in Scientiae formam, Scotorum primus, redegiſti. Quae res, quales meruiſti, ut tibi ſemper afferret laudes, vehementer exopto. Vale.

Dabam Glaſcuae, Ad iv. Id. Mart.

Pag. 1. lin. 24. *leg.* quod autem.
2.—5. *leg.* permanſiſſe.
3.—1. *leg.* ſimplici.
7.—15. *leg.* aſſignari.
9.—13. *leg.* infeſtarent.
10.—27. *leg.* parietes.
11.—4. *leg.* quidam.
13.—27. *leg.* fine.
17.—2. *leg.* diſtinguere.
ib.—11. *leg* momenti.
18.—13. *leg.* celluloſitatem.
19.—2. *leg.* exulcerationem.
25.—11. *leg.* ulceri.
ib.—21. *leg.* ammittere.
27.—6. *leg.* occupaverit.
29.—15. *leg.* Empirici.
30.—11. *leg.* Aromatum.
36.—17. *leg.* Intraverint.
37.—2. *leg.* Stimulantibus.
ib.—6. *leg.* robur.
38.—14. *leg.* ut.
39.—23. *leg.* ſint.
40.—2. *leg.* decoctum.
42.—16. *leg.* tranſiiſſe.
43.—6. *leg.* Æthiopicis.
46.—27. *leg.* Perfricare.

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE MORBI VENEREI NATURA,

ATQUE

DE FACULTATE PROPRIA

QUA IN HUNC

MORBUM POLLEAT

ARGENTUM VIVUM,

QUAEDAM PROPONENS.

DE Siphylide indaganti haec fere primum venit conſideranda quaeſtio, anne ſit novus morbus, an veteribus cognitus? De ea enim re multum diſputare ſolent auctores medici. Adeo fuſe autem diſſeruere, dum hanc exolverent quaeſtionem, ut quae ab illis proferantur argumenta, ea, uſitata hujuſmodi diſſertationum brevitas, ſtrictim omnino perſcrutaſſe vetet, immo ne ſummatim quidem attingere ſinat. Illam tamen fatendum eſt multo magis veriſimilem mihi videri ſententiam, quae ſiphylidis recentem originem ſibi vendicat, atque hanc potius inter medicos valuiſſe credo, quorum pleriſque perſuaſum eſt, hunc morbum ante ſeculi decimi quinti finem nullo modo extitiſſe *. Ad quod con-

* Vid. Aſtruc. Vol. I. Lib. 1.

firmandum, alia quae memorari poſſit res, magnopere, ut opinor, confert. Si nationibus enim antiquis innotuiſſe putaretur Siphylis, ut Romae quoque apparuiſſet, quam per tot ſecula caput mundi permaniſſe, atque cui exteros ab omni orbis terrarum parte concurrere ſolitos fuiſſe, omnes noſcimus, vix certe dubitandum eſt. Iſta autem poſtquam ſeſe oſtendiſſet urbe, ſcriptorum Romanorum quin obſervationem ſibi vendicaſſet, impoſſibile fere videtur. Poetarum ſaltem attentionem meruiſſet tam dira atque contagioſa labes, Satyrae occaſionem praebens, ut ſeveritati ita licentiae aptiſſimam. Nulla tamen de Siphylide facta mentio eſt a ſcriptoribus Romanis, atque ſilentio eorum ſummi forſan momenti derivari poſſit argumentum, hunc morbum ignoraſſe prorſus nationes antiquas †.

SIGNORUM ENARRATIO.

Viri venerei in corpus humanum effectus in duo ſtadia diduci poſſint. Horum alterum a

† Neque Horatius ad mores hominum notandos ita praecipuus et vitia, ut poenas quae ſequantur vitia; neque acrior atque licentior Perſius, aut Juvenalis, aliquem attigerunt morbum in carminibus ſuis qui ulla cum probabilitate pro Venereo haberi poteſt.

ſimiplici viri contactu cum aliqua corporis parte oriri ſolet, atque *Locale* vel *Primarium* nominabitur. Alterum magis commune eſt, atque a veneno in vaſa ſanguifera recepto, ac inde poſtea in varias corporis partes erumpente, originem ducit. Hoc ſtadium appellabitur *Secundarium*.

Stadium prius quoque variare videtur ſecundum corporis locum quâ applicetur contagium. Si locum ſecernentem et glandularem affliciat virus, ſuppuratio ſine ulcere, fere ſolum concitatur, ſub Gonorrhoeae nomine; ſi autem in locum neque glandularem neque ſecernentem agat eadem labes, et ſuppuratio, et ulcera ſuperveniunt. Suadet brevitas ut de Gonorrhoea tractare mitterem; liceat ergo procedam ad caeteras morbi partes,

DE ULCUSCULO VENEREO.

Viri itaque venerei nec ſecernentem nec glandularem locum inficientis, quaedam quaſi puncta, velut ſcintilla ignis exuſta *, alte rubentia, concitare, prior pene effectus eſt, quibus autem cito decedentibus, infra oſtendunt ſeſe ulcuſcula, mali quidem habitus, ſed quae non tamen facile eſt deſcripſiſſe verbis. Colis glandem in maribus,

* Vid. Andree, Obſ. on Ven. Diſ. p. 6.

plerumque occupant, atque praeputii ſuperficiem internam; in foeminis autem praecipua ſedes eſt, clitoris cum ejus praeputio, vulvaeque labia, velut partes quae ſenſu prae caeteris acuto polleant. Ad excitanda illa, quod tempus neceſſarium ſit, diverſum eſt in diverſis aegris. Spatium intra horas xxx, et iv vel v dies, plerumque requiritur, etſi aliquando hoc tempore ſerius aut citius concitentur ulcuſcula: uno quidem a Huntero memorato exemplo, quo etiam poſt menſes duas, effectus ſuos edidiſſe dicitur venereum virus *.

Inflammatione vel majore vel minore haec ſemper comitantur ulcuſcula. Quae autem ejuſmodi prae ſe oſtendit ſigna, inflammatio, originis venereae non verè eſſe dicentur, quod aeque ac a venereo pure eadem concitata videre eſt, ab ulla alia ſtimulante noxa: cujus autem generis praecipua ſunt Phymoſis et Paraphymoſis; Vicinarum partium Phlegmon et Eryſipelas; Gonorrhaea ſymptomatica; atque Teſtium Tumor.

Quando colis ſuper glandem cutis reduci non poteſt, Phymoſis nominatur. Ulcuſcula venerea hic comitans affectus, multum habet incommodi. Abſceſſibus inter praeputium atque glandem originem praebet, nec medicamenta adhiberi ſinit. Praeterea ſi inflammatio vehemens fuerit, praeputii extremitates adhaerere cogendo, impedire urinae viam periclitetur ‡.

* Vid. Hunter. Treat. on Ven. Diſ. p. 218.
‡ Ibid. p. 222.

Paraphymoſis contra dicitur cum praeputium ita intumuit, ut ſuper glandem induci nequeat. Altera periculoſior, quippe cutis circa colis glandem conſtrictio, iter ſanguinis impediendo, gangraenam minitet.

Inflammatio Phlegmon et Eryſipelas dicta, qua ſtipantur ulcuſcula venerea, nil proprii habet, a vulgari phlegmone et Eryſipelate, quadam alia cauſa, ſiphylide aliena, oriente.

Gonorrhaea ſymptomatica, atque Teſtium tumor non accidunt, niſi morbi initio, et inflammationi vehementi †.

Ad ulcuſcula venerea in Foeminis dignoſcenda, deſcriptione nova nullum opus eſt. Numeroſiora eſſe quam in viris ſolent, a ſuperficie veneno expoſita largiore; et inflammationis minus habere, a ſenſu habetiore quo pollent mulierum naturalia.

De vitiis quae ulcuſculis ſuperveniant.

Ulcuſculis autem quaedam alia ſuccedere aſſuerunt vitia.

1. Praeputii inſueta craſſities, a praecedente inflammatione.

2. Verrucae, quae ſecundum varias earum formas, variis donantur nominibus, ſed quae omnes videntur eſſe ejuſdem naturae.

3. Carcinoma. Hoc vitium periculoſum poſt ulcuſculum impletum aliquando ſupervenit.

4. Ulcuſcula non venerei generis, ſed quae

† Vid. Andree. Ob. on Theor. and Cure of Ven. Diſ. p. 6.

eodem loco inſideant quo priora venerea.

5. Morbi venerei Stadium quod Commune, vel in toto habitu ineſſe dicitur. Stadium hoc ulcuſcula multo ſaepius quam Gonorrheam ſequitur, ratione, Huntero teſte, unius a Gonorrhaea, ad centum ab ulcuſculis, infecti †.

DE BUBONE VENEREO.

Veneni ſiphylitici alter localis effectus eſt Bubo venereus. A pure venereo ab ulcuſculis reſorpto, inguina advecto, ibique ſui generis inflammationem in glandulis conglobatis ciente, gignitur. Hinc ſummo corpore, ubicunque reperiantur hujuſmodi glandulae, oriri poſſint bubones, ſed pro evidenti cauſa, inguina potius infeſtare ſolent; atque idem fere occupare latus, quo penis latere, prius ſita fuerint ulcuſcula ipſa. Si penis utrumque latus eroſum ſit, tum intumuiſſe quoque utraque inguina periculum eſt. Bubonum praecipua ſedes eſt in maribus glandularum inguinis ſuperior ordo; in foeminis autem frequenter accidunt quo loco terminent ligamenta rotunda dicta, atque ad labiorum latera ‡. Aliquando, ſed raro, ſine ulcuſculo praecedenti, ſuperveniunt bubones.

† Vid. Hunt. Treat. on Ven. Diſ. p. 288.

‡ Ibid. p. 260.

Atque hunc quoque affectum, quam ulcuſcula frequentius, comitatur gravis phlegmon aut Eryſipelas.

DE LUE SECUNDARIA.

His de Venerei morbi primario vel locali ſtadio memoratis, proximum eſt ut de illo dicam quod Secundarium vel commune nominatur. De iſta autem appellatione, obſervare aliquid neceſſarium erit. Ab ea enim minime intelligendum eſt, hoc luis ſtadio, ac iſtis morbis, ita affici hominem, qui totis corporibus oriri, atque communes eſſe, rectè et proprie dicuntur. In iis namque, ut in febribus, pro comperto eſt, ſigna omnia, a quodam totius corporis pendere ſtatu, nec ullam apignari poſſe morbi ſedem. In lue autem ſecundaria nihil non contrarium ſeſe habet. Nunquam enim hujus a totius corporis conditione excitantur ſigna, ſed a vitio ſolo locali, atque huic una et certa ſedes perpetuo aſſignari poteſt, *ſummum* ſcilicet *corpus*. In partes enim ita ſitas, atque in illas ſolas, rabiem ſuam excercere valet venereum virus, etſi hoc morbi ſtadio in ſanguifera vaſa receptum fuerit, et per humores totos diffuſum. Neque enim ab exemplis memoriae traditis, fide dignis, oſtendi poſſit, malum hoc infeſtaſſe unquam, aut cerebrum, aut ventriculum, aut

inteſtina, aut ullum alium de corporis interioribus locis †. Quos autem effectus ſummo corpore excitare ſoleat hoc luis ſtadium, ſi auctorum recenſione judicandum ſit, hi pene innumerabiles reperientur *. Nullum enim modum ſibi ſtatuerunt medici in hujuſmodi enumerandis malis; etſi forſan hos ita adſcriptos lui morbos ſi paullo ſtrictius conſideremus, eorum plerique aut aliorum morborum propagines deprehendentur, aut ſaltem illos vix ac ne vix quidem obſervare poſſimus temporibus hodiernis. Eos igitur recenſuiſſe ſat erit, qui haud dubie a lue venerea originem trahant, atque a medicis enumerentur praeſentis ſeculi. Praecipui ſunt Oris atque Faucium ulcera. 2. Cutis maculae et variae Impetigines. 3. Dolores caeterique oſſium affectus. 4. Tubercula atque carnis durities; quibus addantur, 5. Ophthalmia venerea, 6. Surditas venerea.

I. De oris atque Faucium ulceribus.

In omni circa guttur et fauces parte hujuſmodi ulcera videre eſt, ſed tonſillis, uva, et palato fere oriuntur. In narium cavitate quando accidant, Ozaena Venerea nominatur morbus. Ab aliis ulceribus nulla verborum deſcriptione, ſed frequenti ſolum inſpectione dignoſcenda ſunt. Hac re tantum differre videantur ab ulceribus primariis, quod minore circundentur inflammatione.

† Vid. Hunt. Treat. on Ven. Dir. p. 305, 306.
* Vid. Luiſin. aphrod. Aſtruc. de Morb. Ven. lib. iv.

II. De cutis maculis, aliaque Impetigine.

Quaecunque vitia corporis cutem male habuiſſe nota fuerint, ea inter venerei viri effectus ab auctoribus recenſentur. Horum frequentiſſima quae vero accidant, ſunt coloris ſubrubri maculae, faciei atque frontis cutem praecipue occupantes, aliaſque corporis partes aëri externo expoſitas. Hujus autem generis, quae primae apparuerint, eae vulgo evaneſcere ſolent, ſed aliae ſuccedunt, quibus invicem recedentibus, ita repetita res eſt, ut cute tandem eroſa, infra relinquatur ulcus *. Manuum palmas, atque pedum plantas, ſi infertarent hujuſmodi ulcera, Rhagades vulgo appellatur morbus, et inſanabilis fere evadit †. Ex hiſce quoque gignuntur maculis bullulae quaedam, ſero repletae, quae alis et inter nates orientes, Herpem conſtituunt veneream ‡. Scabies calvariam inter capillos foedans, Porriginem veneream, vel Tineam capitis facit. Ab cute labes venerea aliquando ad ungues ſerpit, quae eroſae decidunt; nec capilli ipſi periculo vacant, ſed ſubinde fluxiſſe dicuntur.

III. De doloribus caeteriſque oſſium affectibus.

Effectus in oſſa non minus graves exercet Siphylis, quam in cutem. In omnia autem oſ-

* Vid. Hunt. Treat. on Ven. Dif. p. 320.

† Vid. Plenck. Andree, obſ. on Ven. Dif. p. 138. Act. vol. 1. lib. iv. c. 3.

‡ Vid. Hunt. Treat. on Ven. Dif. p. 320.

ſa, non aequis pollet viribus. Illa fere ſola infeſtare aſſueſcit, quae et exigua defendantur carne, et aëri externo magis obnoxia videantur. Hujus generis ſunt, de Calvaria frontis praecipue, temporum atque parietum oſſa; jugulum, ſternum, ſcapulae ſummae, cubiti extremitas, tibiaeque pars anterior *. Oblongorum oſſium medias et portiones ſolidas pene ſolum invadit.

Siphylidis in oſſa inguentis ſignum fere primum eſt dolor magis vel minus intenſus, ſaepius tamen intermittens. Hunc tandem ſequitur quaedam oſſis pinguedo quo loco prius affecerit dolor, atque qui ita oriuntur tumores, pro materie qua varie componuntur, variis donantur nominibus. Si mollia ſint, Gummata nominantur, quae perioſtei vitia eſſe, adfirmat Aſtruccius; ſi dura, inſtar oſſis ipſius, Nodi, Tophi, Exoſtoſes. Oblongorum oſſium extremitates tumore affectae, auctorum Hyperoſtoſin faciunt. Vitiorum autem omnium quae oſſibus incidunt longe perniciosiſſima eſt Caries, quae remediis neglectis his ferè omnibus ſuccedere minitet. Quà tamen maxime infeſtat peſtis haec, ſunt palati tenuia et narium oſſa, ubi ſine tumore precedente invadere ſolet. Hic ſaeviſſimam ſuam excercet rabiem; atque parities inter

* Vid. Hunt. Treat. on Ven. Diſ. p. 307, 308, 309. Swed. Practi. ob. on Ven. Diſ. 105, 106. And, ob. on Ven. Diſ. 103, 104.

os et nares deſtruendo, ut et oſſa naſi planando, duas foediſſimas morbi reliquias non raro poſt ſe relinquit. Siphylidis quoque prolem eſſe, Spinam Ventoſam, quidem medici auctores ſunt. Enumerantur etiam inter ejuſdem effectus, oſſium Mollities et Fragilitas *, terra ex qua conſtituuntur abſorpta; utraque tamen rariſſime, ſeculis hodiernis obſervare eſt.

IV. Tubercula, atque carnis durities.

Cutem autem inter calvariae capillos, collumque poſterius, praecipue infeſtare ſolet hujuſmodi durities. Calloſitas ferè ſub cute duriuſcula eſt, non occulo, ſed chirurgi ſolum digito dignoſcenda, nec quid doloris habet †. Tubercula naturalibus orientia, appellantur varie, velut Porri, Criſtae, Condylomata; circa anum autem genita, aliis nuncupantur nominibus, Mora, Fici, Mariſcae ‡. Haec tamen poſtrema, Siphylidi non recte aſcribi debebunt, quod a cauſis, viro venereo alienis, ſaepiſſime gignuntur.

V. De Ophthalmia Venerea.

Occulos quoque, ingruente viro venereo, omnigenis vitiis patuiſſe a ſcriptoribus dictum eſt. Hoc autem longe frequentiſſimum eſt, quod adnatae tunicae, punctorumque lachrymalium ex inflammatione, atque lippitudine naſcitur. Inflammatur etiam vicina cornea, ali-

* Vid. Swed. Pract. obſ. on Ven. Diſ. 237.

† Andree obſ. on Ven. Diſ. p. 130.

‡ Vid. Aſtruc. de Mor. Ven. lib. iii. cap. x.

quando ſuppurat. Craſſa alias et maculata fit, cui rei interdum caligo ſuccedit *. Si ad angulum internum pervadat morbus, Fiſtula producitur Lachrymalis. Hanc autem oſſis unguis tenuiſſimi fere excipit caries, vel pernicies iſta in oſſibus vicinis ipſis concitari poſſit, atque inde ad occulum pervenire.

VI. De Surditate Venerea.

Aurium quam occulorum vitia, multo rarius a Siphylide veniunt. A Schwediaur unum quidem refertur exemplum, quâ Surditas proveniſſe dicitur, ab ulcere palato molli inſidente, atque, partium conſenſu, tubam Euſtachianam commovente †. Non tamen defuerunt auctores, qui in meatu auditorio tumores duros excitantem, atque auris quatuor officula quidem ipſa, nodis, tophis, et exoſtoſibus exaſperantem, ſecundariam luem deſcripſere ‡.

Haec ſupra memorata ſigna, excepta Gonorrhoea, atque illam quae ſequantur vitiis, mihi omnia viſa ſunt quae rectè et vere aſcribi debebunt venereo viro. Huic autem opinioni fatendum eſt minime conſenſiſſe multos et ſummae auctoritatis viros, qui haec et multo numeroſiora eſſe putarint, et, velut Siphylidis certiſſimam prolem, recitarint. Sic Aſtruccius glandula-

*Vid. Andree obſ. on Ven. Diſ. 126, 137. Swed. Pract. obſ. on Ven. Diſ. 158, 224.

† Vid. Swed. obſ. on Ven. Diſ. 226.

‡ Vid. Aſtruc. de Morb. Ven. vol. 1. p. 423.

rum conglobotarum totius corporis vitia a lue ſecundaria deducit, quas hac cauſa adfirmat inflammatione et tumore affici *. Hujuſmodi autem glandulas nec tumuiſſe, niſi applicato primarii ulceris pure; nec ſecundaria ulcera bubones excepiſſe ſolere, docuit nuperior et adcuratior obſervatio. Naturalium quoque ulcera a lue ſecundaria oriri, idem acutor eſt. Sed illa niſi primariae lui ſupervenire, hodie ſaltem nunquam deprehendimus. Neque hic tamen conſiſtere ſolent medici hujuſce morbi effectus graves multiplicando. Velut carminis conditor epici, qui heroa ſuum quam maxime exornatum voluit, atque in omnibus excellere rebus, ſic morborum quicquid, in ulla orbis terrarum parte, ſub ullo coelo, humanum genus cruciaſſe notum ſit, id huic medici attribuere veneno. Ita de vetuſtioribus quidam, omnium generum febres, morbum comitialem, podagram, morbum articularem, atque malorum aliorum mille, ob illo derivant. Aſtruccius quidem ipſe, facultates corporis omnes a Siphylide corruptas eſſe tradidit, animales, naturales, vitales †. Qui autem in hujuſmodi enumeratione longe aliis anteceſſit, eſt Plenckius. Jactata et inventa nuper noſologia nixus, prolifica iſta, et divifionis abſurdae, et ſine firi variantis origine, cui apprime ac-

* Vid. Aſtruc. de Morb. Ven. vol. 1. lib. iv. c. iii. S. 6.
† Vid. Aſtruc. v. 1. lib. iv. c. 9.

commodatum videtur ingenium, venerei viri effectus, in haud minus quam duas et viginti claſſes, atque genera CVI diſtribuiſſe auſus eſt. Horum autem plurimos morborum hac cauſa deducere, plane inepti adparet. Enumerantur enim inter claſſes, Febres Venereae, Spaſmi, Adynamiae, Profluvia, Emaciationes; inter genera autem, Febris Exanthematica, Imflammatoria, Intermittens, Tetanus, Hemiplegia, Colica, Tuſſis, Teneſmus, Phthiſis Pulmonalis. Supra necnon obſervatum fuit, Siphylidem per omnia ſua ſtadia ſemper morbum localem eſſe, nec cum iis qui totis corporibus ineſſe dicuntur, ullam habere adfinitatem. Qui autem nunc recitantur morbi, communes fere omnes ſunt, non locales. Neque reddi poſſit cauſa, cur magis, vel minus hujuſmodi morbis obnoxii eſſent Siphylide laborantes, quam alii, niſi hoc forte crederetur, illos in hos morbos incidiſſe ſolitos, a debilitatrici curatione iſta, quam Siphylidi adhibere conſuerunt, medicinam olim facientes.

DE SIGNORUM RATIONIBUS,

ATQUE DE

INFLAMMATIONIS VENEREAE NATURA.

A tempore quo per Europam graſſari incepit venerea labes, opiniones et multas et varias, de ſignis ejus atque natura, protulerunt medici. Hae autem ſibi proprias formas aſſumpſiſſe dicantur a diſciplinis iſtis quae tum forte in ſcholis valebant, ac velut ipſa quibus ſtabilirentur principia, jam ſumma cum fide receptas videre eſt, poſtea autem, labentibus annis, exploſas. Etſi alias diſſidentes tamen, hac una in re ſat firmiter conſentiunt. Hujus enim morbi cauſam, in aliqua humorum corporis pravitate, a venereo inducta viro, ſemper collocari, atque huic ſolo ſuborto vitio omnia ejus ſymptomata ſemper aſcribi debere, inter omnes fere auctores convenit. Quae quidem opinio longe lateque pervaſit, atque ad noſtra fere uſque permanavit tempora. Praeſentis namque ſub initium ſaeculi, quando Pathologiae quae Humoralis dicitur inſtituta, tam ornate expoſuit Boërhavius, hanc quoque opinionem, ut auctoritate confirmavit, ſic facundia ſua illuſtravit, egregius auctor. Quo enim libello de Siphylide ſcrip-

fit, illa ſola utitur ad ſigna explicanda omnia *. Neque qui ei ſucceſſerunt medici, ab ejus diſceſſerunt rationibus. Similem prorſus omnes explicationem ſecuti ſunt, prae caeteris autem Aſtruccius, vir fuſus atque indefatigatus, quem praeceptoris ſui gradibus inſiſtentem, atque per volumina magna haerentem, etſi paſſibus haud aequis, nunquam non obſervare poſſimus. Ea autem jam demum exploſa eſt ſententia, quae morbos omnes in fluidorum corporis vitiis collocare ſolebat, atque ei majore cum veriſimilitudine ſucceſſit altera, quae illos potius derivare ſtatuit ab affectibus ſolidorum. Recentiores itaque hujus morbi cauſam, non, ut olim, ex ulla fluidorum pravitate, ſed ex ſolo venerei viri effectu ſuper aliqua ſolidorum parte, ibique concitata inflammatione, exquirunt. De hujuſmodi autem inflammatione loquentes, novo quodam modo rationari ſolent. Negant enim veneream quicquid cum ullo alio inflammationis genere commune oſtendere; immo omnia ſibi propria habere; atque cauſa, ſignis, et curatione ſua, ab illa vulgo corpus inſidente, prorſus alienam eſſe, contendunt. Atque hinc itaque opinionis hujus primus et praecipuus auctor, Hunterus egregius, de cujus ſcriptis, quam priora conjuncta univerſa, ea plus novi atque utilis, de hoc morbo in medium protuliſſe, omni procul adulatione, dicere opportebit; Inflammationem Veneream velut *ſui generis* nominare,

* Vid. Boërh. pref. ad Luis Aphrod.

atque ab omni alia *Specificae Inflammationis* nomine deſtinguere, ſemper aſſuetus eſt *. Hoc tamen loco fatendum erit, dum venerei morbi conſiderarem ſigna, ſententiam iſtam non ſatis firmatam eſſe mihi viſam. Etſi enim a tanti nominis auctoritate diſſentire, magnopere timebam, nulla tamen deprehendere poſſem argumenta quibus ea evicta apparebat, vel quo minus mihi perſuaſum eſſet, Inflammationem Veneream ab vulgari illa, quocunque corpori admoto ſtimulo oriri ſolita, ullius momente re, vel ad ſigna, vel ad curationem differre. Atque quoniam quidem huic Almae Academiae ſemper mos fuit, nullam credendi ſervitutem ſuis alumnis imponere, nec quicquid diſſerendi copiam, modo id cum verecundia juventuti qua, par eſt propoſitum fuerit, renuere; hanc Inflammationis Venereae de natura ſententiam, neque in medium proferre verebor, neque pro virili defendere. Atque ſimilis quoque magis impetranda venia eſt, quando illic perveniſſem, qua hoc mihi difficilius adgrediendum eſt, qua ſpeciali vi in eandem inflammationem polleat Argentum Vivum, atque illi prae caeteris medicamentis medelae ſit, exponere. Nunc autem ad propoſitum prius redeam, ut oſtendere coner, nulla momenti re differe venereamab inflammatione vulgari: atque quo hoc facilius demonſtari poſſit, hujus comparationem inſtituere opus erit cum illa quae vulgaris dicitur,

* Vid. Hunt. Treat. on Ven. Diſ. p. 1. chap. 1.

De hac vero poſteriore, haec quaedam prius propoſuiſſe liceat.

Inflammationis ideo de qua hic agitur, aſſignari poſſit cauſa, fluidorum ad partem ſolito concurſus major, a ſtimulo admoto oriens. Hinc fit ut in vaſcula tantum ſerum vehentia propelleretur ſanguis merus, atque his nova fluidorum mole diſtentis, ſuperveniant dolor, tumor, atque rubor. Hujuſce ſecundum ſtimuli magnitudinem, ſtadia varia percurrere ſolet Inflammatio. Si ſtimulus levis fuerit, veluti leni inflicta plaga, tum ſanguinis, quae coagulabilis dicitur, in celluloſitatem vicinam erumpit lympha, atque cellulas adglutinando et ſe et inflammationem ſiſtit, donec, ceſſante ſtimulo, pars cito ad ſanitatem perducatur. Quod itaque Inflammationis genus a Huntero *Adhaeſiva* nominatur *. At ſi vehementior fuerit ſtimulus, velut contuſio gravis, tum ſuccedunt alia. Fluidorum concurſus fit major, copia ſanguinis nimia ita vaſcula diſtenduntur, ut in debilitatem magnam et laxitatem incidant: quo pacto evenit ut lymphatica vaſcula penes quae facultatem eſſe, quicquid corporis vita ſua quoddamodo orbatum fuerit, reſorbendi, jam compertum eſt, ſuum munus excerceant, atque partibus debilitatis exeſis, concitetur tandem *Exulceratio*. Si vehementius etiam parti incubuerit noxa, tum prorſus robur ſuum a-

* Vid. Hunt. Treat. on Ven. Diſ. Int.

mittunt vaſcula inflammata, et *Gangraena* naſcitur. Comitatur autem exculeratioenm altera res, vel ei fere ſuccedit. Supra ulcus effunditur pus, fluidum novum, atque a caeteris corporis alienum, utpote quod ab inflammatis partis aegrae vaſculis ſecerni videatur. Si conſtituitur *Suppuratio.*

Hiſce de Inflammatione Vulgari propoſitis, occurrit iterum quaeſtio, quomodo de illa differat Inflammatio Venerea? De illa autem hanc non omnino variare, a rationibus quae ſequuntur ſat facile apparebit.

1. Inflammationis Vulgaris omnigenae ſemper cauſam eſſe ſtimulum quendam, jam ſupra memoratnm eſt, quod de Inflammatione quoque Venerea ſimili modo affirmari poſſit. Semper enim a puris ſoli venerei contactu oritur poſterior, atque hoc ſtimulum eſſe, immo generis ſat validi, negatur nemini. Eodem prorſus modo, quo ſtimuli alii, quibus admoveantur partes perpetuo afficit. Tumorem atque ruborem ſimplicem primo concitat, deinde ſuppurationem exulcerationemque, et caetera inflammationis ſtadia. Hunc percurrere curſum, ſi ſibi relinquatur morbus, ulcuſculum et bubonem, ut veneream inflammationem omnigenam, nunquam non videre eſt.

2. Effectu ſuo variat Inflammatio Vulgaris, ſecundum corporis partium quas occupet naturam. In loco non ſecernente et aëri expoſito oriens, ſuppurationem ut et exulcerati-

onem excitat; in ſecernente autem loco et glandulari, ſuppurationem fere ſolam, et exulcerationis expertem, gignit. Nec in Inflammatione Venerea res aliter ſeſe habet. Loco enim non ſecernenti, et aëri expoſito, ſi pus adhaereat, exulceratio oritur, ut et ſuppuratio, et *Ulcuſculum* conſtituitur Venereum; quoties in ſecernentem autem atque glandularem locum eadem agat labes, ſuppuratio ſola ſequitur, ac formatur *Gonorrhoea*.

3. Variat quoque genere Inflammatio Vulgaris, ſecundum corporis vel partis habitum. Hinc in phlegmonem et Eryſipelas diducitur. Nec deficiunt exempla ubi Inflammatio Vulgaris tandem in cancrum deſiit. Hiſce vero rebus non differt Imflammatio Venerea. Eryſipelas interdum, phlegmonem ſaepiſſime, concitat, aliquando etiam in Cancro terminaſſe nota. De quibus autem caſibus, hoc loco obſervandum erit, minus adcurate loqui ſolere auctores medicos. Enarrare enim mos eorum eſt, Inflammationem Veneream, de phlegmone aut eryſipelate, *comitante*, velut illi hae ſint res extraneae: ideoque Argentum praeter vivum, auxiliis vel roborantibus vel debilitantibus aliquando opus eſſe, praecipiunt, ad haec nova occurrenda mala. Ita tamen oriens ſeu phlegmon ſeu Eryſipelas, venerei viri, atque inde pendentis inflammationis aeque certa proles, procul dubio habendus eſt, ac bubo aut ulcuſculum ipſum.

4. Inflammationem Vulgarem cur potius co-

mitaret phlegmon aut Eryſipelas, a partis debilitate aut robore pendere videtur. Inflammationem Venéream eadem ſtipantia ſigna, ſimilem cauſam agnoſcunt. Ulcuſcula enim aut bubonem cingenti phlegmoni, vel inciſa vena, vel ex parte laborante, ſanguinis miſſio adhibenda eſt: dum contra, Eryſipelate urgente, opium, aliaque ſtimulantia, Huntero teſte, optima ſunt remedia. Eorum quoque qui Gonorhoea laborabant, ubi ingraveſcere magis ſolet inflammatio, propter ſuperficiem latiorem, quam in aliis venereis affectibus, venereo viro expoſitam, hos fere ſolos exercuiſſe Eryſipelas, quorum corpora imbecilla erant, quoque compertum habuit idem ſcriptor egregius. Nec non in pravi habitus hominibus, velut ſcorbuto afflictis, refert Andree, quam in firma valetudine utentibus, latius ſerpere, ſeſe obſervaſſe ulcuſcula †.

His rite perpenſis rebus, patebit id quod ſupra affirmavi, nulla momenti re, a Vulgari differre Inflammationem Venéream: in una tamen variare fatendum eſt, ſat quidem memorabili, ſed quae ad ſigna ejus aut curationem, nil conferre videtur. Facultate pollet enim, ſemper pus generandi ſui ſimile, quod vice ſua pus aliud gignendi ſine fine compos evadit, iiſdemque prorſus praeditum dotibus. Hanc autem venerei viri non tam univerſam quam olim credi-

† Vid. Andree, Obſ. on Ven. Diſ. p. 13.

tum facultatem esse, comperit jamdudum Hunterus. Ab experimentis ejus firmissimè evictum est, primarii puris venerei propriam dotem esse, nec omnino ad secundarium pertinere. Invenit enim egregius vir, nunquam valuisse ad contagium communicandum pus ulceri secundario ademptum.

Proximum est ut Siphylidis signa paullo subtilius explicare aggrediar, ad quod efficiendum, si vera sint, quae supra memorantur, facilior nunc forsan patebit aditus.

I. De Ulcusculo.

Glans atque praeputii superficies interior, quam aliae colis partes, ulcusculis potius infestantur, quod sensu acutiore polleant, atque ita venerei viri stimulo obnoxiores extent.

Quae excipiant ulcuscula mala, non explicatu difficilliora sunt. Phymosis et Paraphymosis nil proprii habent a venereo viro orti. Haec non raro accidit a summa colis cute per coitum retracta nimium et lacerata; illa a naturali sorde sub cutem eandem collecta, putrescente, et inflammationem ciente, frequentissime gignitur.—Quae sequuntur ulcuscula alia, 1. Cutis nempe Craffities insueta, 2. Verrucae, 3. Ulcera quibus superveniat Cancer, Inflammationis sui generis argumenta praebebunt nulla, quoniam omnia ab Inflammatione vulgari concitata persaepe observare est. 4. Quod ad Ulcusculi ultimam sequelam attinet, ulcera scilicet, natura sua, non venerea, sed loca prorsus

eadem infeſtantia, ab ulcuſculis venereis occupata olim, id proprio Siphylidis contagio minime aſcribi debebit. Ea enim lex de corpore humano inſtitui videtur, ut partes quocunque modo deſtructae, dein inflammationis ope renovatae, tandem caeteris debiliores multo evaderent. Vitium autem de quo hic agitur, partibus nunquam niſi illis ſupervenit, quae multis ante ulcuſculis venereis confectae, vix aſſuetas recuperaſſent vires; hinc enim accidit, ut aut corporis totius, aut partis prius affectae ſuborta quadam imbecillitate nova, vim ſupra memoratam, qua in loca tam debilitata, et principio vitali quoddamodo orbata, pollent, ita exerceant reſorbentia vaſcula, ut aut nova moveantur ulcera, aut vetera renoventur. Cujus rei exempla multa in morbis habemus. In Scorbuto, jam pridem fractorum oſſium reſolvitur et reſorbetur callus, ut et vetuſtiſſimorum cicatrices ulcerum, quae etſi olim omnino ad ſanitatem perducta, iterum ſerpere incipiunt.

Ulcuſculo quam Gonorrhoeae frequentius ſuccedere ſolet Secundaria Lues, propterea quod pars corporis exulcerata, abſorptioni omnigenae ſemper magis accommodata eſt, quam ſolum ſuppurans.

II. De Bubone Venereo, praeter jam dicta, explicatione nova nullum fere opus erit. Ad inguina advehitur venereum virus, ibique agens, velut aliquis aequa poteſtate ſtimulus, dolorem primo, deinde tumorem atque ruborem

concitat, poſtremo autem ſuppurationem exculcerationemque. Phlegmonis ſaepiſſime, Eryſipelatis interdum induit ſibi formam inflammatio, aliquando etiam in cancro deſiit. Illud autem ſat quidem mirabile videtur, quod venenum ſiphylitiũm, etſi in corpus intimum receptum, atque per glandulas conglobatas plurimas, interiore corporis loca occupantes, curſu ſuo diffuſum fuerit, nullam tamen inflammationem niſi iſtis glandulis concitaret, quae ſummo inveniuntur corpore. De qua re, vix ſane explicanda, hoc tamen conjecturare licet. Nonne proprietate admodum ſimili polleat Inflammatio Vulgaris? Extraneo quodam in corpus intimum per vulnus vel aliàs recepto, ſuppuratio ſaepe nulla fit, cujus rei multa memorantur exempla. Sic acus et glandes plumbeas per plures annos in corpore interiore ſine offenſione manſiſſe, nullamque ibi ſuppurationem excitaſſe, deprehenſum eſt, donec paullatim ad loca ſubter cutem perductae, ibique et ſuppurationem et exulcerationem moventes, poſtremo tandem do corpore ejicerentur.

III. De Lue Secundaria.

Contagium Venereum corpus ubi penitus pervaſerit, multas ſuas vires amittere ſolet, ſeu cum humoribus corporis intime mixtum, magnopere diluatur, ſeu quacunque alia cauſa, incertum eſt. Hoc autem ſtatu ſecundario quas olim invadere aſſuevit partes, nunc non omnino infeſtat. De quo genere ſunt conglobatae

glandulae, quibus etſi ſummo ſitis corpore, ditionem excercet nullam; ubivis enim corpore, oriente ſecundario ulcere, hae non amplius intumeſcunt; quam rem in ulcuſculis iſtis videre eſt quae tam ſaepe et palatum et tonſillas foedant, quae tamen excipere nuſquam animadvertuntur bubones colli *. Sed hujus viri poſt corpus ingreſſum imminuta vis, a Hunteri eximii experimentis, dilucidius etiam demonſtrata. Pus enim de ſecundario ulcere ademptum communi ulcere, ſed ſine contagio, imponebatur. Pus idem, recenti vulneri immiſſum, innocuum prorſus evaſit: † quae experimenta, eodem prorſus eventu, ſat frequens repetebantur. Nonne haec venerei viri, poſtquam corpus intraverit, manſuetudo, quoddamodo cauſa ſit, cur inter humores ſine offenſione latitaret, et tot menſes tam frequenter elapſae ſint, ante ſigna aperta quam Luis Secundariae ediderit?

Minime tamen exiſtimandum eſt, hoc ſtatu amittere prorſus poteſtates ſuas venereum virus. Vim ſuam validiſſime ſtimulantem nunquam non reſervat. Hinc itaque de partium genere quod infeſtare ſolet, *eas quae ſenſu acutiore, ſemper primas afficit; deinde quae hebetiore polleant. Os, palatum, tonſillae, cutis invaduntur prius; poſt haec perioſteum atque Oſſa* ‡. Neque haec, teſtante Huntero, uſquam fere perturbatur ſeries.

* Vid. Hunt. Treat. on Ven. Dif. part 6. chap. 2.
† Ibid.
‡ Vid. Hunt. Treat. on Ven. Dif. p. vi. ch. 1. Jut. 7.

Luis autem Secundariae quae oriantur ſigna, nulla propriae inflammationis praebebunt indicia. Eundem ſemper humorum concurſum parti ſpectare eſt, ut et effectus ejus, donec tandem ſuppuratione, exulcerationeque terminetur vitium. Herpes quoque Venerea, Tineaque capitis, cum unguium atque capillorum pernicie, a quavis alia materia ſtimulante, cutem et male habente, aeque ac a venereo viro, ortum ſuum traxiſſe, ſaepenumero obſervantur. Neque Siphylide vitiata oſſa aliquid novi afferre ſolent. Ea omnibus inflammationis ſtadiis pariter obnoxia eſſe, ac caeterae corporis partes, chirurgis univerſis notum. Quae oſſium autem a venereo viro oriantur mala, velut Nodi, Tophi, et Exoſtoſes, cum Suppuratione, exulceratione, carieque, ea a vitiis iiſdem, vel injuria externa adlata, vel quacunque alia concitatis cauſa, et contagio prorſus aliena, diverſum nihil exhibere queant.

Haec autem ſufficere videantur ad praecipua Siphylidis explicanda ſigna. Si vera ſint, humorum parti concurſum nimium, a ſtimulo venerei viri ortum, hujus morbi eſſe *Cauſam Proximam*, adjeciſſe fere ſupervacuum erit.

De Venerea tamen, ut inflamatione omnigena, loco contenta, haec non levis momenti, haud praetermittenda eſt obſervetio. Praeter vulgo accidentem inflammationem, in robore nimio vaſorum poſitam, et remediis debilitantibus occurrendam, aliud quoque reperiri ge-

nus, omnino hiſce rebus contrarium. Haec enim et ex aucta vaſorum debilitate naſcitur, et medicamentis roborantibus tollitur. Illam, diſtinctionis cauſa *Sthenicam* nominare liceat; hanc autem *Aſtbenicam*, cujus non raro exempla habemus, et in ulceribus quae occupaverint vetuſtas longa, in illis pravi habitus hominibus orientibus, et ab injuriis gravibus parti adlatis, gangraenamque ſpectantibus; vel in quibuſcunque aliis caſibus, ubi, ſeu a ſtimuli gravioris violentia, ſeu levioris longinquitate, ſeu partis aut corporis totius infirmitate, atque ad ſtimulum ſuſtentandum invalidi, in magnam inciderint debilitatem loci cujuſdam inflamata vaſcula: haec enim omnia eodem revertuntur, et idem prorſus conſtituitur ſtatus. Ad illud vero poſterius genus, fere ſemper pertinere videtur Inflammatio Venerea. In Primario enim hujus morbi ſtadio, ita violenter agit venerei puris ſtimulus, ut vehementia ſua confecta partis laborantis vaſcula, cito in debilitatem caderent; dum in ſtadio ſecundario, ejuſdem veneni etſi imbecillior facta vis, eundem tamen effectum praeſtat, actionis ſuae longinquitate, manſuetudinem novam quoddamodo penſante. Atque hinc itaque *Aſthenici* generis, forſan nunquam non habenda eſt, Inflammatio Venerea.

DE SIPHYLIDIS CURATIONE,

ATQUE DE

FACULTATE PROPRIA,

QUA IN HUNC

MORBUM POLLEAT

ARGENTUM VIVUM.

PER Europam graſſante primum Venereo morbo, ut ſignorum novitate, ita dira quam edidit ſtrage, adeo territos fuiſſe medicos, ut eo laborantes viſere recuſarent, memoriae traditur. Paullatim autem, poſtquam a terrore recuperaſſent animos, iiſdem remediis tandem cum eo confligere caeptum eſſe, quibus aliis occurrere ſolerent morbis, vel iſta medendi methodo, quae tunc temporis Rationalis vocabatur. Hac autem cito ſpem ſuam fallente medendi via, quid agerent incerti, haeſiſſe iterum dicuntur, velut qui de aegris ſuis pene prorſus deſperarent *. A quibuſdam vero reputatum eſſe, tandem novi quadam morbi ſimilitudine perductis, cum aliis cutis vitiis, ut auxilium peterent ab argento vivo, quod in Lepra et E-

‡ Vid. Aſtruc. de Morb. Ven. L. 2. c. 6.

lephantia, caeteriſque ſimilibus ſummi corporis morbis, inter Arabes profuiſſe plurimum, jampridem comperiebatur. Neque quicquid ab illo expectarent, id fefellit medicamentum novum; ita enim praeter ſpem omnem feliciter ſubvenit, ut plures ope ejus cito ad ſanitatem perductos fuiſſe accepimus. Quod mirum tamen videatur, hujus ita proſperè adhibiti remedii, non per multos annos valuiſſe adminiſtrationem, ex ſcriptorum teſtimonio diſcitur. Minus experti enim fuiſſe commemorantur hujus ſaeculi medicinam facientes in vehementis adeo medicamenti viribus, ita ut illud multo largius quam ſat erat, adminiſtrare ſolerent: qua in re autem praecipue peccaſſe Emperici feruntur, qui tum ad Siphylidem ſanandam per Europam frequentiſſimi vagarentur, atque imperitia quorum adeo gravia, et aegrotantibus quidem funeſta mala oriri obſervabantur, ut in deſuetudinem repentinam deciderit hoc optimum remedium, neque per aliquot annos poſtea in medicinae uſum revocatum fuerit *. Eo enim exploſo, quaedam nova in ejus locum ſucceſſerunt medicamenta, quae in regionibus iſtis ſummam ferebantur attuliſſe opem, quibus morbus ipſe credebatur ortus. Horum praecipua erant Guaiacum † et Sarſaparilla, quorum in curan-

* Vid. Aſtruc. de Morb. Ven. L. 2. c. 7.

† Qui primus medicamentum hoc in medicinam duxiſſe fertur Hiſpanus fuit, Gonſalvus Ferrandus. Is dum Neapolis in obſidione militaret, ſiphylide correptus, atque fruſ-

da Siphylide ita increvit fama, ut per longum tempus his fere ſolis uterentur medici. Poſt quae autem (namque non diu favorem retinebant, ſed vice ſua, antiquata, aliis ceſſerunt) multa alia quoque decurſu, qui inter hoc atque ſaeculum praeſens interjacerint annorum, remedia, in eundem finem adhibita videre eſt; quorum tamen quae unquam vere profuiſſe adparent, ea ſub his forſan comprehendi poſſint generibus; *Argenti* ſcilicet *Vivi*, atque *Plantarum* de *Acrium* et *Aromatorum* ſpecie: quibus praeterea addere licet *Stibium Opiumque*.

DE ARGENTO VIVO.

Horum autem longe praecipuum eſt Argentum vivum. Hujus enim in depellenda Siphylide efficaciam, medicorum omnium, per trecentos ferè annos experientia, ſat lucide demonſtravit. Etſi autem inter omnes de utilitate convenit, de propria ſua virtute non eadem eſt concordia. Qua enim facultate et in corpus agat, id magnopere diſputatum eſt; magis autem, qua ſpeciali vi, in ſiphylitica ita prae

tra in Italia curationem petitus, tandem in Occidentalem Indiam demigrare inſtituit, ut iſta experiretur remedia quibus Indi ipſi ſanabant morbum. Exhinc, poſtquam ibi priſtinam recuperaſſet ſalutem in Europam reverſus, exercuit ipſe medicinam; atque novi medicamenti vendendo pro ſeptem ſcutatis aureis ſingulas libras, brevi tempore, ingentes dicitur comparaſſe opes.

Vid. Freind. Hiſt. Med. p. 577.

caeteris medicamentis polleat mala: de quibus itaque rebus diverſas et multas opiniones ediderunt medici. Has autem opiniones enumeraſſe, nec hic locus eſt, nec ſi locus eſſet, operae pretium foret. Illis enim fere communia eſſe ea dicantur, quae de rationibus ſupra memoratis dicta fuerunt, iis nempe quibus freti auctores, ipſius morbi naturam exponere molirentur. Iſtarum namque rationum inſtar, opiniones illas, jam ſumma cum auctoritate in medium prolatas, jam exploſas penitus, decurſu annorum, videre eſt. Quibus autem, ut pro vero et ſtabilito fuit, ſiphylitica omnia in quodam corporis humorum vitio ſemper collocari mala: ſic illis, Argenti Vivi ſalutiferos effectus univerſos, nulli alii niſi actioni cuidam in eadem excercitatae fluida aſcribi potuiſſe, aequè certum ac compertum reputatum eſt. Ineunte demum praeſenti ſæculo quando Pathologiae Humoralis diſciplinas, quatenus hunc morbum attineant, exculta adeo oratione explicavit Boërhaavius, hanc quoque minime neglexit opinionem. Ab effectibus enim ſuper humores corporis ſolis, totas Argenti Vivi deducit vires, quas autem in gravitate propria et acrimonia poſuit: hiſce enim qualitatibus ad eoſdem humores et attenuandos et diſſolvendos ita valere contendit metallum hoc, ut hi de corpore facile excreerentur, et unà ſecum detraherent venereum virus. Sed potius erit audire ipſum praecipientem. " Cunctis rite perpenſis, ad-

" paret vera vis, qua ad expugnandum hoc ma-
" lum ſolus efficax Mercurius habetur: omnes
" humores corporis in ſubtilitatem aquae con-
" vertit, olei tenacitatem dividit, facit hinc ut
" evadant omnes adeo diſſoluti, ut ſpecie ſalivae,
" ſeri diarrhoici, urinae citae, vel ſudoris, ſponte
" de corpore eliminentur." Quia idem auctor exiſtimavit, a venereo viro facile corrumpi poſſe omnes corporis humores, medendi rationem, huic gravi malo apprime accomodatvm inſtituere, non oblitus eſt; mandavit enim ut *hi omnes, quocunque modo poſſint*, de corpore eluerentur. Quod magnum autem ad efficiendum, ut quando effectum fuiſſet dignoſcendum, tale reliquit lectoribus ſuis praeceptum: " Rite non curatum malum, niſi palleſcat in-
" ſter mortui aeger, niſi emacietur prorſus, niſi
" alimentis inter curandum quam minime pin-
" guibus nutriatur, niſi tamdiu protrahatur
" ipſa curatio, donec *antiqui humores* omnino
" de corpore migraverint."—Dirae quidem voces et quas " horreſco referens!" Raro enim eſt, Pathologiam iſtam, quae per tot annorum ſeries peſſumdedit medicinam (quae nil in morbis praeter Humorum peccata reſpicere ſoleret) ut obſervare poſſimus, tam diros edentem effectus. Et diſciplinae quidem quam ita excoluit Boërhaavius dum elegantiam admiremur, plurima iſta quoque mala, a medendi rationibus tam peſtiferis neceſſario orientia quod tempus in ſcholis ejus valeret auctoritas, ploremus quo-

que neceſſe eſt. Illud autem cum magno humani generis fructu, a medicis tandem repertum eſt, ſanari poſſe ſiphylidem ſine detractionibus fluidorum. Quoniam tamen nullas fere medicamentorum vires agnoſcerent medici, niſi illas quibus humores educerentur; et quod hujuſmodi facultatem non amplius Argento vivo aſcribere potuiſſent, hoc ignoto prorſus modo agere, et cum iſtis, quae *Specificorum* diſtinguuntur nomine religari opportere remediis, affirmabant. Adhuc tamen Boërhaavii Medendi Rationes, invitis animis, reliquiſſe videntur. Argentum enim vivum, inter Evacuantia Remedia etſi collocari debere negent, inter *Alterantia* autem illud procul dubio adnumerandum eſſe, ſat acriter contendunt. Neque quiſquam ante Cullenum veras hujus metalli vires rite perſpexiſſe invenitur. Is enim Argentum Vivum medicamentorum generi cui certiſſime pertinet, reſtituit primus. Id namque inter *Stimulantia* poſuit egregius vir, atque omnes, et in Siphylide, et in aliis morbis quas exhibet facultates, a ſolo ejus deducit ſtimulo.

Si argumentis illius quicquid adjiciendum eſſet, hiſce quoque quae ſequuntur confirmari poſſet opinio.

1. Alicui corporis loco applicato Argento Vivo, ſuccedunt et partis rubor, et humorum concurſus. Sic ſalivae movendae cauſa datum, omnes inflammationis gradus a rubore ſimplici ad gangraenam uſque, concitaſſe, ſaepius ob-

ſervatum eſt *. Ita tamen orientia ulcera, ab iſtis ſumma cura diſtinguenda ſunt, quae morbo ipſo originem trahant. Idem quoque inguinum glandulis admotum medicamen, effectus omnino ſimiles oſtendit. Illic enim majore quam ſat erat copia tranſmiſſum, ut in bubonibus ſanandis frequenter accidit, adeo vehementer agit, ut ſtimulo ſuo non raro cieantur ulcera, quae poſtea inſanabilia fere evadunt.

2. Majorem vim, velut ſtimulantia alia, in foeminas, quam in viros, idem excercet remedium.

3. Illos quoque homines vehementius afficit qui debiles ſint, et mali habitus. Hinc Podagri atque Scorbutici minus commode argenti vivi adminiſtrationem, parciſſimam quidem, patiuntur. Qui ſtrumis laborant, velut vulgo imbecilli, hujus quoque medicamenti, Huntero teſte, majorem ſemper impetum experiri ſolent.

4. Utriuſque ſexus infantes atque pueri, violentia hujus, aeque ac alicujus ſtimuli, moventur magis, quam aetate provectiores. Hinc ſi quando illis adminiſtretur remedium, maxima obſervatione opus erit.

Hiſce ſolis argumentis, quibus adjici multa poſſint, Argentum Vivum inter ſtimulantia remedia rectiſſime adnumerari, ac nulla vi niſi ſtimulante, in morbis prodeſſe, ſat lucide apparebit. Quo autem conceſſo, major ſubit difficultas. Rogari poteſt enim, ſi haec ita ſint, cur

* Vid. Graing. Mon. Siph.

non omnia alia ſtimulantia, ac argentum vivum, ſiphylidi aeque feliciter occurrerent; quod certe nemo ſanus adfirmabit. Neque hanc difficultatem ſolvit eximius Cullenus. Hinc itaque, argenti vivi in actione, aliquid proprii, vel ut loquuntur *Specifici*, ineſſe ſemper, omnibus fere medicis perſuaſum eſt. Inter quos Hunterus, etſi ſtimulum eſſe Argentum Vivum minime abneget, ſpecialis tamen generis eſſe, ſemper pro certo habet: atque ut omnem Inflammationem Venéream a Specifica cauſa oriundam eſſe tradidit, ita huic inflammationi argentum Vivum, non, niſi per quandem facultatem propriam occurrere poſſe, ſimili modo inſtituit. Supra autem ut mihi tentatum fuit, opinionem illius de natura morbi oppugnare, et Inflammationem Venéream oſtendere nullius momenti re ab Vulgari differre, ſed eandem ſibi Cauſam omnino vindicare Proximam; nunc quoque id mihi adgrediendum eſt, ut demonſtrare coner, non *Specificum Remedium* eſſe Argentum Vivum, ſed ut Stimulantia omnia alia eodem prorſus modo in corpus agere.

Quod autem ad Stimulantia in genere attinet, inter hoc medicamentorum genus, non levis quidem momenti intercedere differentiam, haud praetermittenda eſt obſervatio. Alia enim quando in ventriculum aſſumpta fuerint, vim ſuam ſtimulantem minime ad illum cohibent, ſed late per corpus edunt, atque per omnes etiam extremas partes, ſtatim diffundunt. Quod ita penitus et celeriter agant hujuſmodi remedia,

quorum exemplum vinum ſit, nuper haud abſurde *Stimulantia* nuncupata ſunt *Diffuſibilia*. Eorum autem ſtimulus etſi pro tempore ſat validus, non tamen perdurat. Poteſtatibus enim digerentibus perdomari ita et mutari ſolet, ut in ſanguifera tandem receptus vaſa, et priſtinam ſuam virtutem ammitteret, atque Diffuſibilium modo agere omnino deſineret.——Alia contra ejuſdem generis remedia, dum in ventriculum recipiantur, nec laté corpus afficiunt, nec ullam fere niſi quam attigerint partem, incitare pollent. Etſi minus diffuſibilia, non tamen alteris quoque imbecilliora, putanda ſunt. Principio enim poteſtatibus digerentibus nec ſolvendo nec diſtruendo gaudent, quo non modo, virtute intacta, in ſanguifera recipiantur vaſa, ſed eaſdem prorſus quibus inſtructae intraverent corpus vires, per totos eorum tractus, incolumes reſervent. Ad quod autem poſterius Stimulantium genus pertinere videntur et Argentum Vivum, et quaecunque medicamenta alia in ſananda ſiphylide efficacia reperientur. Tali enim principio gaudere Argentum Vivum, nulla abeſt evidentia. Si quando enim per os adminiſtretur metallum hoc, poſtquam per ſtomachum atque inteſtina tranſierit, poſtquam per omnia ſanguifera vaſa migraverit, denuo poſtquam per arteriarum minutiſſimarum ſurculos minutiſſimos pervaſerit, iiſdem prorſus viribus quibus ante ingreſſum corpus valeret, ut in ſaliva et cutis exhalatione videre eſt, dotatum illud nunquam non invc-

nimus. Etſi a caeteris tamen hac proprietate ſat quidem mira, Simulantibus differat, quatenus autem *Stimulus* ſuus reſpiciatur ſolus, quo omnis collocatur virtus, ejuſdem prorſus oſtenditur eſſe naturae. Ubicunque enim attigerit corpus, vaſorum et tonum et rubor auget, ipſa in contractiones validiores concitat; neque ulla in re, praeter anguſtiorem ſuam actionem a diffuſibilibus diſcrepat, propter quam autem nullas fere niſi quibus recte admotus fuerit partes, ſtimulare poteſt.

His itaque rite perpenſis rebus, magnum illud forſan exquiſitum, cur in curanda Siphylide ita prae ſtimulantibus caeteris polleat Argentum Vivum, facilius erit explicare. Supra enim memoratum fuit, omnem Inflammationem Venéream ſemper loco contentam, ſemper venerei puris ſtimulo concitatam eſſe; hunc autem adeo vehementer agere ſolere ſtimulum, ut violentia ejus partis laborantis confecta vaſcula, in laxitatem magnam et atoniam inciderent, ita quidem ut quae inde oriretur inflammatio ſit perpetuo *Aſthenici* generis. Si ad hujuſmodi curanda mala minus prodeſſent Diffuſibilia ſtimulantia, quid mirum? Horum enim remediorum per totum corpus late diſtribui ſolet et diſſipari vis, parum ergo ad quamlibet ſingulam partem, minimum tamen ad anguſtam adeo morbi ſedem, venerei ſcilicet ulceris, vel ulcuſculi potius inflammata vaſcula impertiri neceſſe eſt; et ſi quid autem, quale ſit, impertiatur, id, propter eorundem vaſcu-

lorum debilitatem, non multum poſſe afferre opis, putandum eſt. Quod idem in vulgarium ulcerum curatione videre eſt, quae ſi aeque parva ac venerea extent, nil fere accipere aſſuerunt adjumenti a remediis communibus. Hunc autem localis ſtimuli defectum large ſuppeditat Argentum Vivum. Qua nititur enim facultate, intactis viribus permeandi et concoctionis vias, et ſanguifera vaſa, tandem vaſcula ulceris venerei debilitata adit, minutiſſimos eorum pervagatur ramulos, atque per totos eorum tractus ubicunque latera attigerit ſtimulando, (ut in omni autem attigerit puncto neceſſe eſt) ita tonum atque robur auget, at pars venerei viri prius confecta ſtimulo, ad ſanitatem demum reducatur. Quem autem ad medicamenti hujus effectum, altera quoque res non leviter conferre videtur. Aut faucibus enim aut ſummo corpore perpetuo ſita reperiuntur omnigena ſiphylitica mala, quibus etiam, prae caeteris, locis, ſeu quantitate largiore, ſeu, efficaciore vi, nunquam non adferri ſolet Argentum Vivum.

Hae itaque omnes ſi ſimul conjunctae ſumantur res, nonne concludere licet, hujus remedii ſtimulum minime *Specificum* eſſe, ſed, quod prae caeteris Stimulantibus, tantum in Siphylide proſit, huic ſolae ejus Facultati aſcribi debere, *qua et concoctionis et ſanguinis circuitus effectus ſine mutatione tolerare poſſit, et ubi ſitus fuerit ipſe morbus, in illa tandem corporis loca, ſtimulum ſuum excercere integrum?*

Quae cetera Medicamenta in hoc morbo inter medicos utilia eſſe agnoſcantur, haec ex Plantarum genere fere deſumuntur, vel Acrium vel Aromatum. Quia conjuncta ſimul adminiſtrare mos eſt, major quaedam ſubeſt difficultas, in eorum virtutibus aeſtimandis. In pleriſque tamen quale in Argento Vivo tale principuum ineſſe, ſimili modo reperietur.

DE ACRIBUS.

Hujus generis Medicamenta ſtomachum atque quas attigerint partes ſat valide ſtimulare ſolent, vix autem ullam poſſidere efficaciam, in loca corporis remota. Haec tamen quoque principio illo pollere quo per ventriculum et ſanguifera vaſa, intactis viribus, migrare poſſint, facillimum erit demonſtratu. Nullum enim fere eorum eſt quod hujus rei non planiſſima praebebit indicia. Ita exempli cauſa, Scylla, aut Cepa, aut Allium, ſi quando in ſtomachum recipiantur, ut caetera hujus generis medicamenta, totius corporis guſtu atque faetore ſuo ad ſecretiones omnes inquinandas, quam apta ſunt, nemini ignotum eſt. Inter noſtrates autem, nullum fere niſi Daphne Mezereon, ex hoc plantarum genere, adminiſtratum invenimus. Ea decocti forma adhiberi ſolet, quod plantae drach. ii. in aquae lb. iii. coquendo, donec ad lb. ii. reducatur latex, perficitur. Apud exteros tamen plures in uſum veniunt. Septentrionali

enim in America, Lobeliae Siphyliticae radicis decotum, poſtquam ei Ranunculi abortivi Radicis paullulum adjectum fuiſſet, Venereo morbo implicitis, atque feliciſſimo cum eventu, datur. Quod duo homines fide digniſſimi nuper ita teſtati ſunt, ut Indi, medicamenti hujus, quam in Europa, Argenti Vivi adminiculo, noſtri, ad ſanitatem multo citius revocari dicantur *.

DE AROMATICIS.

Aromaticorum quae in Siphylide prodeſſe agnoſcantur praecipua ſunt Guaiacum, Saſſafras, Lignum Rhodium, Santalum album et Rubrum; quibus ſi addentur Sarſaparilla, Glycirrhiza, Mezereon, atque Stibium Crudum, fit celebris Decoctio Luſitanica. De quibus longe potentiſſimum eſt Guaiacum, cujus autem etſi adeo jactentur vires, revera tamen profuiſſe, eae non ſaepe invenientur. Licet enim, in regionibus terrae meridionalibus id ad Siphylidem profligandam ſatis efficax videatur, * attamen in ſeptentrionalibus hiſce, ad idem obeundum munus, vix ſolum ſufficit. Comperit enim experimentis ſuis Hunterus, hoc externe applicato medicamento ſanari poſſe ſecundarii generis ulcera; et internè dato, ſublevari certe

* Vid. Swed. Pract. ob. on Ven. Diſ. chap. 21.
† Vid. Swed. P. T. on Ven. Diſ. p. 258.

omnia Siphylidis ſigna; utraque tamen non ita penitus, ut nullus poſtea reditus extimeſceretur morbi †. Hinc itaque ad delendam prorſus ſiphylidem, quamvis impar evadat Guaiacum, ad ſiſtendum tamen ab ingraveſcendo malum, ſat illud ſemper valere, exiſtimatur Hunterus: haud levis quidem momenti res, ſi forte quae cauſa prohiberet, quod argento vivo ipſo minus commode uteremur.

Quod ad Sarſaparillam attinet, hanc nullo modo Siphylidi prodeſſe vel externè vel internè datam, inſtitutis de propoſito experimentis, idem Hunterus eruit *. Si quando caſu in ullo auxilium attuliſſe putaretur, id magis tribui oportere veriſimile eſt, tepidi potus ſimul ſumpti quantitati largae, quae ſummum corpus, Luis ſpecialem Secundariae ſedem, quoddammodo incitare nunquam deficit, quam cuinam ipſius radicis virtuti.

De Facultate autem qua in Venereum Morbum polleat hoc medicamentorum genus, major adeſt dubitatio. Haec enim ad Diffuſibilia ſtimulo ſuo quoddammodo appropinquare fatendum eſt. In calidis certe regionibus Aromata, ad ſiphylidem ſanandam, multo magis accommodata videntur, quam ſub Europae frigidiore coelo. In his enim regionibus, longe mitior, quam apud nos, evadere ſolet morbus, ita ut quae nunquam fere hic deſunt faucium

* Vid. Hunt. Treat. on Ven. Dif. chap. 6. S. 14.
† Ibid.

ulcera, vix illic, omnino cognoſcerentur. Tale autem in hujuſmodi remediorum plurimis ineſſe principium, quale in Acribus et Argento vivo reperitur, quo ſcilicet concoctionis et ſanguinis circuitus viribus reſiſtere poſſint, non deſunt quae ſuadeant argumenta. Hoc enim in Roſae ſtillato oleo manifeſtum eſt, quod odorem ſuum incolumem retinet, poſtquam et ſtomachum tranſgreſſum, et ſanguifera vaſa. Idem aeque perſpicuum eſt in Balſamis et Terebinthinis, quae efficaciam ſuam in Gonorrhoea ſecundaria ſupprimenda, a principio hujuſmodi pro certo derivant. In urina enim, ſi quando adminiſtrentur, et ſapor eorum, et ſpecialis ſemper deprehendi poſſit odor; luculento indicio, ea per corpus immutata tranſiſſe, et virtutem ſuam in ſedem ipſius morbi recte exercuiſſe, integram. Nec Guaiacum quidem, hujuſmodi remediorum longe validiſſimum, hoc modo agere, multum a veriſimilitudine abhorret *. Adminiſtratum enim ſemper illud ſequitur, et cutis inſuetus calor, et exhalatio larga.

* Tranſire per ſecretiones corporis omnes ſolere medicamentum hoc, illo qui ſequitur caſu ſat manifeſto apparebit. Mulier quae nutrix lacte ſuo infantem alebat, Guaiaco forte uſa eſt, ad Morbum Articularem levandum. Quoties medicamentum aſſumebat, alvi fluxu corripiebatur infans, quo autem relicto, infans quoque morbo liberatus eſt. Exhinc perſpicuum eſt, mammae mulieris glandulas immutatum intraſſe Guaiacum, atque infantis ad inteſtina unà cum lacte perlatum, ibi vim ſuam purgatricem exercuiſſe.

DE STIBIO.

In Siphylide Stibium prodeſſe, atque in Decocto Luſitanico haud inutilem partem conficere, apud omnes convenit. Idem ſi cum Argento Vivo comminuatur, ut in Pilulis Aethioſpicis, et Aethiope minerali accidit, in cutis morbos, qui hoc metallo ſolo inſanabiles reſtitiſſent, valuiſſe invenitur. Hoc autem principium immutabile poſſidere, cui quam creet de cute aſcribi debeat exhalatio, nec improbabile, nec ſaltem conjecturare nefas eſt. Nulla tamen experimenta novi, de materia exhalante inſtituta, quibus haec res jam adhuc evicta fuerit,

DE OPIO.

Multum quoque in curanda Siphylide nuper celebratur opium, etſi qua veritate, non dicere auſim, adeo de illo contraria extant teſtimonia. Ad hunc autem depellendum morbum illud non adeo accommodatum eſſe, magis veriſimile mihi videtur. Luis enim venereae prorſus localia ſunt univerſa ſigna, dum hujus medicamenti, utpote Stimulantium diffuſibilium principis, communes omnino reperiuntur effectus. Perutile certe evadere poſſit ad quaedam ſublevanda ſigna, atque aegrotantium ſuſtentandas vires.

His, de praecipuis remediis quorum in Siphylide inclaruit uſus, memoratis rebus, proximum eſt, ut de ſignorum ejus variorum curatione, paullo ſtrictius dicam. Atque hic obſervaſſe pene ſupervacuum erit, in hac re omnibus aliis ſemper anteponendum eſſe Argentum Vivum. Quod autem ad iſtam quaeſtionem attinet, quae maxime proſint hujus remedii Compoſitiones, de ea quidem re, no nomnino inter medicos conſtat. Eae mihi certe optimae videntur, quibus et in particulas minutiſſimas dividatur metallum ipſum, et quam integerrime conſervetur ſimul metallica ſua natura. Sub hoc autem comprehenduntur genere, Pilulae vulgo dictae Mercuriales, unguentum Mercuriale, Plenckii Mercurius Gummoſus, Mercur. Precipit Niger, vel Celebris Black Cinereus; et ante omnes Mercur. Calcin. per ſe; quae caeteris univerſis longe anteferendae ſunt. Salinae quae nominentur Compoſitiones, eo quod naturae metallicae minus retinent, externe melius, quam interne, dantur. Quod ad quantitatem ſpectet qua adminiſtrari debebit Argentum Vivum, id a ſtatu corporis aegri ſolummodo pendet. Semper autem a quantitate parva incipere debemus, quae deinde paulatim augenda eſt, donec a guſtu in ore percepto, ſpirituſque faetore, vaſis ineſſe remedium, omnino abſit dubitatio. Tum protinus ſuſtendum eſt; his enim perſpectis notis, jam omnes quaſcunque poſſidet vires exercere Argentum Vivum,

ſcire licet.——Subinde accidit, quando de his compoſitionibus quaedam adminiſtratae fuerint, ut concitentur vel tormina vel alvi fluxus, praeſertim autem, ſi detur vel Calomelas vel Mercurius Calcinatus. Haec autem facile praecaveantur mala, ſi quicquid ſimul adhibeatur, quod ſtomachum et inteſtina roboret: atque in hunc finem optime reſpondet opium, vel ſtillata Aromatum olea, quae una cum Argento vivo aſſumi debebunt.

DE ULCUSCULI CURATIONE.

Simul ac ſpectetur ulcuſculum venereum, ſi non admodum late ſerpſerit, protinus adurante aliquo extirpandum eſt. Ad hoc autem efficiendum, optimum eſt Cauſticum quod Lunare dicitur, quo bis vel ſemel die tangendum eſt, donec cruſta formetur, et pars viro infecta prorſus tandem deleatur. Quo facto nihil aliud requiritur, niſi ut paululum argenti vivi adminiſtretur, ad omne melius prohibendum periculum futuri morbi. Sin autem latiora evaſerint ulcuſcula, ita ut minus reſpondeat hoc curationis genus, tum alia quoque adhibenda. Aliquo de Argenti vivi ſalibus, bene cum aqua diluto, veluti corros. ſublim. eluere illa debet aeger; vel ſi hebetiorem indolem prae ſe ferrent, praecipitato rubro leviter inſpergere. Si haec minus valeant, aqua Vitriol. Camphor. perfundantur, vel potius Aurichalci inſpergantur

pulvere, qui teſtante Schwediaur, localium omnium in ulcuſcula efficaciſſimum longe eſt remedium. Quod ad interna medicamenta ſpectet, nullo fere opus erit niſi Argento vivo. Si quando urgeat Phlegmon aut Eryſipelas, illi, ſanguinis detractione, vel ex parte laborante, vel inciſa vena; huic autem, quia gangraenam minitet, vino et peruviano cortice occurrendum eſt.

Phymoſis et Paraphymoſis ulcuſcula ſtipantes nil proprii requirunt, eodem namque prorſus modo curentur, ac ſi ulla alia cauſa fuiſſent orta. Neque quae ſuperveniant ulcuſculis vitia, ſpeciale aliquid deſiderant. Ad praeputium attenuandum, quando juſto craſſius evaſerit, Unguentum mercurialem fortiſs, atque per partem ipſam tranſmitti ſcintillam electricam, Hunterus imperat.—Verrucae ſcalpello aut cauſtico deſtruantur, vel quod minus incommodi affert, Sabinae pulvere. Si unquam ad carcinoma ſpectarent ulcuſcula, ſine mora excidenda.

DE BUBONIS VENEREI CURATIONE.

Bubone autem ulcuſcula excipiente, eum quam celerrime diſcutiendum eſſe, inter ſcriptores omnes recentiores convenit. Ad quod efficiendum, unguento mercuriali cutem perficare, curſu quo tendant abſorbentia vaſcula, optimum eſt; ita fit enim ut cito et recte applice-

tur medicamentum partibus morbosis ipsis; atque unguenti hujus, de axungiae et Argenti vivi portione aequali compositi, drach. i. unaquaque die illivisse, plerumque fere sat erit. Feminibus interioribus, inferiori abdomini, vel genitalibus ipsis, prout res postulet, inungendum. Si bubonem comitentur Phlegmon aut Erysipelas, eandem recipiunt curationem, ac cum ulcuscu-lis superveniant. In superiore autem casu, scilicet phlegmone etiam gravissime urgente, nihilominus ut continuetur argentum vivum suadet Hunterus eximius, cui autem medendi rationi nec ut opinor, sine causa adversatur Schwediaur. Si detur enim stimulum esse medicamentum hoc, quod vix forsan negari potest, ut inflammationem jam satis gravem, id non graviorem redderet, quommodo existimandum est? Id certe concludere licet, vel argentum vivum, vel sanguinis detractionem, quae remedia prorsus contraria sunt, vel unum vel alterum, minus ad hujusmodi casum conferre. Hujus ergo metalli usum per tempus aliquod intermittere, donec conquieverit paullulum inflammatio, utilius forte videbitur.——Si quando utraque inguina occupaverint bubones, suppurasse eos prohibere vix fere possibile evadit; ad hoc enim praecavendum, tantum argenti vivi requiritur, quantum nullius pene aegri vires sustinere possint. Postquam suppurassent autem bubones, velut absceſſus alii tractandi sunt, eo tamen excepto, ut scalpello non aperirentur, sed sibi ip-

ſis ſui effuſio relinqueretur puris. Ad futuram prohibendam luem, pro virili ſimul adminiſtrandum eſt argentum vivum. His enim rite obſervatis rebus, facile plerumque ſanantur bubones. Contra autem ſi quos vetuſtas longa occupaverit, ſi ſcalpello olim inciſi, atque per longum tempus argento vivo curati fuerint, tum difficillime ad ſanitatem perducuntur. Iiſdem tamen prorſus ſtimulis adgrediendi ſunt, qui in ulceribus veteribus non venerei generis, efficaces reperiantur. Atque eidem rei magnopere quoque proſint lignorum decocta.

DE LUIS SECUNDARIAE CURATIONE.

Facile plerumque ſanantur faucium atque palati ulcera, quia ad illos prae caeteris partes argentum vivum, vel majore vi, vel largiore copia, adferri ſolet. Praeter remedii hujus adminiſtrationem autem, adſtringentibus quoque lenibus gargarizare prodeſt, velut peruviani corticis decocto. His tamen impletis ulceribus non protinus ſiſtendum, nec morbus ipſe pro extincto habendus eſt. Per menſis ſaltem ſpatium continuare debebimus argentum vivum, eo enim neglecto, quadam alia corporis parte, ſiphylidem poſtea erupturam eſſe, expectandum.

In Maculas, aliaque cutis vitia, ut et inci-

pientia oſſium mala, optimum remedium eſt frequentiſſime in balneum calidum deſcendere. Hoc enim arcanum videtur, quo, adjuvante inſuper calidiore coelo, in Continente medicinam facientes nixi, venereis iſtis adeo feliciter occurrere callent affectibus, qui hac in inſula, medicamentorum viribus reſiſtere prorſus inveniuntur. Quò efficaciora redderentur balnea, addendum eſt furfuris decoctum, atque Sublim. Corroſ. Semun. aquae duobus utriſque congiis. Idem quoque ſal interne datum, in hujuſmodi cutis vitia magnopere prodeſſe obſervatur; et hic fere unicus caſus eſt, de Argenti Vivi ſalibus, quo ullum internè adminiſtrari debebit.

Nodos atque Tophos a ſiphylide oriundos, quod ad cauſam ſuam attinet nullo modo variaſſe, ab iis qui alias concitentur, memoravi ſupra; quod ad medendi rationem ſpectet, eoſdem minime differre, nunc quoque obſervandum eſt. Hanc enim rem luculenter commonſtravit celeberrimus Ruſſel, qui in oſſium, quae vulgo accidunt, inflammationibus, argentum vivum externè atque internè datum, ut et mezerei decocta, ſemper aeque prodeſſe invenit, ac in affectibus earundem partium vere ſiphyliticis; quod idem combrobavit medicorum aliorum experientia. Hebetioris generis ut perpetuo inveniatur ſiphylitica oſſium inflammatio, ad illam depellendam locales ſtimulos validiſſimos, epiſpaſtica veluti ac emplaſtra calida, Hunterus im-

perat; quae si minus valuerint, tum partes super ossa vitiata altè incidendas esse, idem praecepit.

Quando a siphylide indurescat aut exasperetur summi corporis caro, eadem fere prosunt ac in ossium inflammationibus. Si Tubercula orirentur, quatenus sua spectetur causa, nil proprii requirunt.

Ophthalmia Venerea, praeter adhibitum argentum vivum, eodem modo curatur, quo oculorum inflammationes quae aliis ex causis oriuntur: quod idem de Surditate Venerea observari potest.

His de Venereorum morborum curatione speciatim dictis, hoc commune de omnibus praeceptum, addidisse haud alienum erit: quo magis uteretur, semper eo debilius agere Argentum Vivum, et ad depellendum morbum, ineptius perpetuo evadere; hinc igitur, illo per longinquum tempus sine fructu administrato, conferre maxime, vel ut compositio prius adhibita pro alia mutaretur, vel ad caetera ut confugiatur remedia, quae jam nota fuerint profuisse morbo.

QUOMMODO AEGER CONTINENDUS EST DUM ADMINISTRETUR ARGENTUM VIVUM.

Remedium hoc, ſtimulantia velut omnia, in imbecillos quam in robuſtos ſemper majore impetu adferri ſolet: etſi adminiſtratione enim ejus parvum incommodi patiantur validi, ab infirmis tamen, multo magis exſtimeſcendum eſt. Ad haec igitur praecavenda, quae aliter orirentur mala, ut vires aegri rite ſuſtineantur, ſumma obſervatione opus erit. Quam ad rem autem confert maximè externus calor, qui ut ſtimulorum omnium potentiſſimus, ita in ſummum corpus directè agit, et ſedem ipſius morbi, et locum qua remedium ipſum vehementius concurrere ſolet. Hinc itaque in conclavi cui frigus arceatur, continendus aeger, et induſiis laneis amiciri debet. Neque tamen foris progredi, modo ſinat temperatius coelum, prohibendus eſt; nil enim, quod notum omnibus, ad roborandum corpus magis pertinet, quam exercitationes ſub dio factae. Cibum autem quem idem capiat, eum quam maximè alentis generis eſſe, praeterea confert; neque quicquid vetat, ne aegrotanti ſimul modico indulgeatur vino. Quae itaque ſi rite peragantur res, omnia proſperè ceſſabunt, atque nihil majus ab argento vivo periculi ſuberit, quam ab ullo alio adminiſtrato ſtimulo.——Aliquando tamen contraria

prorſus neceſſaria eveniunt. Interdum enim ita validi reperiuntur homines, ut niſi quodammodo fractae fuerint eorum vires, illi, nihil commodi ex medicamento hoc, ne effectus quidem, experirentur. Cujus rei, praeceptor olim meus, atque mihi ſemper honorandus Illuſt. IRVINE *, de quoddam aegro ſuo, exemplum unum referre ſolebat. Homo validiſſimus, qui ſiphylide laborabat, dum uſitatos cibos, atque exercitationem ſolitam ſibi permitteret, argento vivo, per longum tempus incaſſum uſus eſt. Suadente tandem medico, ut domi ſedulo ſeſe teneat, atque tenuiori victu, utpote de lacte praecipue confecto, ſeſe reſtringat, infirmus adeo, et ad medicamentum recipiendum evaſit aptus, ut debellato morbo, priſtinam cito poſt recuperaverit ſalutem.

* In prael. de Mat. Med. hab.

FINIS